
Theologia. Teol. ~~4003~~

Baltazarowicz Jacobi: Quaestio theologica de gratia Dei. – pro licentia in s. Theologia obtinenda



In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE

GRATIA DEI,

Ex Prima Secundæ D. THOMÆ:

A

M. IACOBO BALTAZAROWIC,
inter Collegas Maiores, Seniore Patre,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE,
Ecclesiarum, Cathedralis Cracouiē: CANONICO,
Collegiatæ SS. Omnium PRÆPOSITO,
Curato Prosouien: Contubernii Staringeliani Prouisore,
Studii Vniuersitatis Cracouiensis,
GENERALI RECTORE;

PRO

Licentia, in Sacra Theologia, obtinēda,



Publicè, ad Disputandum,
PROPOSITA,
In Lectorio D. Iagellonis Theologico.

Anno à Natiuitate Domini, M. DC. LXXXIII.
*Mense Noub**mbri. Die 23 Horâ 15.*

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICa
DE GRATIA DEI.

VTrum homo, secundùm statum, naturæ lapsæ, consideratus: possit, sine gratia, aut speciali auxilio DEI, omnes veritates naturales: & supernaturales, cognoscere, necne?

CONCLUSIO I.

PRæter statum naturæ puræ, naturæ integræ, iustitiæ originalis, naturæ lapsæ, per Christum reparatæ, & statum patriæ, seu gloriæ æternæ: datur status naturæ lapsæ, in peccatum, sibi relictæ.

COROLLARIA.

I. Initium huius statûs, naturæ lapsæ, & ex consequenti, omnis peccati, superbia fuit.

II Comes, huius superbiæ, fuit, malitia inobedientiæ, & gulæ.

III. His vitiis, quasi latronibus, liberè admissis, natura humana, spoliata est, iustitiâ originali, gratiâ sanctificante, Fide, Spe, Charitate, aliisq; virtutibus, & donis supernaturalibus.

IV. Vltrà hæc, eadem natura humana, orbata est, dono integritatis, immortalitatis, & impassibilitatis.

V. Insupèr homo, per peccatum originale, non tantùm donis illis, quibus, in statu innocentiæ, ornatus fuit, priuatus est: sed etiam, in pontentiis naturalibus, grauitèr vulneratus.

CONCLUSIO II.

HOmo, in statu naturæ lapsæ, potest, sine gratia, seù auxilio speciali, cognoscere singulas veritates naturales, seù diuisiuè, tàm speculatiuas, quàm practicas.

COROLLARIA.

I. Quamuis possit homo, in statu naturæ lapsæ, sine speciali gratia, cognoscere, omnes veritates artificiales, diuisiuè;

& morales, quæ ſunt principia, vel Concluſiones Philoſophiæ moralis (cùm eadem ſit ratio de illis, ac de ſpeculatiuis) immò & aliquas ex illis, quæ immediatè pertinent ad prudentiam: non poteſt tamen, attingere omne verum practicum, pertinens ad prudentiam, ſine ſpeciali auxilio.

II. In eodem ſtatu naturæ lapſæ, homo exiſtens, totam collectionem veritatum, tàm ſpeculatiuarum, quàm practicarum, ordinis naturalis, ſine ſpeciali gratia, attingere nequit.

III. Quòd homo, in ſtatu naturæ lapſæ, in gratia gratum faciente exiſtat, non poteſt gaudere ideò potentiâ expeditâ moralitèr ad totam veritatum naturalium collectionem attingendam.

IV. Etiam in ſtatu naturæ integræ, non potuiſſet homo, omnes veritates ſpeculatiuas cognoſcere collectiuè, abſq; ſpeciali auxilio: nec etiam practicas, quæ pertinent ad Philoſophiam Moralem: benè tamen eas, quæ ſpectant ad prudentiam, & operis executionem ordinantur.

V. In ſtatu innocentiæ, poſteri Adæ, licèt plurium ſcientiam, & faciliùs, ac breuiori tempore, conſequi potuiſſent, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, vel integræ: non tamen omnium collectiuè.

CONCLUSIO III.

NOn poteſt homo, in ſtatu naturæ lapſæ, veritates ſupernaturales, ſolis viribus naturalibus, & cum ſolo concurſu generali, cognoſcere, illiſq; aſſentiri, prout oportet ad iuſtificationem, & ſalutem: ſed indiget, ad hoc, ſpeciali gratiâ & ſupernaturali auxilio DEI.

COROLLARIA.

I. Ad aſſentiendum veritatibus ſupernaturalibus, ſiuè illæ ſint ſupernaturales ſimùl, ex parte obiecti, & rationis ſub QVA; *ſiuè ſolùm ex parte rationis ſub* QVA, *ſeù motiui, gratiâ interna omninò requiritur.*

II. Ut virtutibus ſupernaturalibus aſſentiatur homo, ſicut ad iuſtificationem, & ſalutem oportet, non ſolùm ex parte

intellectûs; sed etiam ex parte voluntatis, auxilium supernaturale requiritur.

III. *Hoc supernaturale gratiæ auxilium, ex parte intellectûs, & voluntatis necessarium, non solùm, ad actum fidei formatæ, quæ est cum charitate; sed etiam ad actum fidei informis, qualis est in peccatore, requiritur.*

IV. *Assensus fidei, qualis ad iustificationem requiritur, nequaquàm potest ab homine produci, non solùm, quoad aliquem modorum, dissimilis; sed etiam quoad substantiam, & entitatem similis, & eiusdem speciei, cum illo, quem produceret adiutus auxilio gratiæ, cum solo concursu generali, pertinente ad ordinem naturæ; nisi adsit auxiliũ supernaturale.*

V. *Quando veritas est supernaturalis, ex parte obiecti cogniti, & ratio sub Qua, est naturalis, tunc potest homo, assentiri eidem, sine auxilio gratiæ, viribus naturalibus: supposita reuelatione, & promulgatione Euangelii.*





IN Veritate didici, nihil æquè efficax esse, ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si, omni tempore, coràm DEO, inueniaris non altum sapere, sed timere. sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pauidus. Time ergò, cùm gratia arriserit; time, cùm abierit; time, cùm denuò reuertetur: & hoc est, semper esse pauidum. D. Greg: Serm: 77.

Gratia, balsamum purissimum est: & ideò, purum, solidum, & profundum vas, requirit. Idem super Cant: Serm: 54.

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria, in sæcula.

